

Christo, aut potius contra illum, saluum aliquem beatumq; efficeret.

93. Neque verò eo hæc à nobis disputantur animo, quasi cuiquam ob peccatorum commissorum atrocitatem, de gratiâ DEI desperandum esse existinemus.

94. Toto enim corde, & ex intimis conscientie nostræ recessibus credimus, confitemur, docemus, Christum Iesum esse propitiationem pro nostris, non pro nostris autem tantum, sed totius mundi peccatis, longè sufficientissimam: & omnem peccatorem resipiscentem & credentem in Christum, non periturum, sed vitam habiturum æternam 1. Ioh. 2, 2. Ioh. 3, 16.

95. Quæ sanè consolatio, uti omnes omninò ex æquo peccatores respicit: ita nemini, quibuscunque etiam peccatis polluto, dubitatio ulla oboriatur, quin sibi quoque, peccata commissa verè agnoscenti, seriò deploranti, & fide ad Christum mediatorem confugienti, peccatorum remissio, & gratiæ ac misericordiæ DEI ianua pateat latissima.

96. Quare quicumque corde sunt contrito, & afflicto Spiritu, interim tamen vel minimam fidei scintillulam in se deprehendunt reliquam: ij, venenatis Diaboli suggestionibus procul exterminatis, nunquam animum inducant, se peccatum hoc in Spiritum Sanctum irremissibile habere aut commississe: sed potiùs promissionibus Evangelicis

O

licis